

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS

BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0161

Sabato 01.04.2006

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DEL V CENTENARIO DELLA NASCITA DI SAN FRANCESCO SAVERIO (JAVIER - SPAGNA, 7 APRILE 2006)

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DEL V CENTENARIO DELLA NASCITA DI SAN FRANCESCO SAVERIO (JAVIER - SPAGNA, 7 APRILE 2006)

In data 3 marzo 2006, il Santo Padre ha nominato l'Em.mo Card. Antonio María Rouco Varela, Arcivescovo di Madrid, Suo Inviato Speciale alle celebrazioni del V Centenario della nascita di San Francesco Saverio, che avranno luogo a Javier (Spagna) il 7 aprile 2006.

La Missione che accompagna l'Em.mo Card. Antonio María Rouco Varela è composta da:

- Rev.do P. Elías Royón, S.I., Provinciale della Compagnia di Gesù per la Spagna;
- Rev.do Sac. Anastasio Gil García, del clero dell'Arcidiocesi di Madrid, Direttore del Segretariato della Commissione Episcopale per le Missioni e la Cooperazione tra le Chiese.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Papa al Suo Inviato Speciale:

• LETTERA DEL SANTO PADRE

Venerabili Fratри Nostro

ANTONIO MARIAE S.R.E. Cardinali ROUCO VARELA

Archiepiscopo Matritensi

Quingenti anni mox complentur ab ortu sancti Francisci Xavier, caelestis Patroni Navarrae et missionum catholicarum in toto orbe terrarum. Missionarius ille praeclarus, et praesertim in Hispania, India atque in Iaponia notus, gentibus etiam aetatis nostrae de salvifica opera Domini nostri Iesu Christi loquitur atque universali Evangelii indole. Idem enim qui Christum impense nuntiavit multosque ad fidem convertit, exemplar exhibetur

progressionis spiritalis eximium, admirabilis Regni Dei servus atque Evangelii in mundum universum propagationis magister.

Laeto animo notitiam accepimus de Anno Iubilari in Navarra, Hispaniae provincia, celebrando, memoriae ac nuntio sancti Francisci Xavier dicato, deque plurimis pastoralibus inceptis quae sacri istius regionis Pastores in bonum fidelium sibi creditorum praeparant. Anniversario ipso die sancti Francisci Xavier ortus, die scilicet VII proximi mensis Aprilis, in loco Javier, provinciae Navarrae, sancta celebrabitur Missa qua Episcopi, sacerdotes, religiosi viri ac mulieres atque Christifideles laici grates Deo omnipotenti de sancti Francisci Xavier opera sollemni modo reddent atque humiles adferent petitiones ut Iesus Christus, quem ille Societatis Iesu sodalis strenue nuntiavit, totam Ecclesiam in opera novae evangelizationis prosequi et adjuvare dignetur.

Quam ob rem Venerabilis Frater Ferdinandus Sebastián Aguilar, C.M.F., Archiepiscopus Pampilonensis et Tudelensis, humanissime rogavit ut Nos quendam insignem virum ad celebrationem eandem designaremus qui congregationi praeesset atque verba spiritalis cohortationis omnibus adstantibus pronuntiaret. Iustae postulationi Nos adnuere volentes, ad Te, Venerabilis Frater Noster, decurrimus, qui, Hispaniae terrae eminens filius, dignus Nobis omnino videris ad id munus fructuose explendum. Te igitur hisce Litteris Missum Extraordinarium Nostrum nominamus ad celebrationem quingentesimae anniversariae diei ortus sancti Francisci Xavier, quae die VII mensis Aprilis in loco Javier, provinciae Navarrae, sollemni modo agetur. De Patrono missionum catholicarum loquens eiusque assidua navitate et pondere, omnes adstantes adhortaberis ut praecepta Domini servent, novis viribus novaque diligentia peculiarem dilectionem Christi Ecclesiae et Evangelii demonstrent atque fidei zelo in vita cotidiana ferveant.

Rogamus Te etiam ut nomine Nostro omnes ibi congregatos salutes, Archiepiscopum praesertim Pampilonensem et Tudelensem, ceterosque sacros Pastores, sacerdotes, religiosos viros ac mulieres, christifideles laicos, omnibusque Nostram cum sancti Francisci Xavier cultoribus necessitudinem significabis.

Nos autem Te, Venerabilis Frater Noster, in tua missione implenda precibus comitabimur. Denique Benedictionem Nostram Apostolicam libentes Tibi impertimur, signum Nostrae erga te benevolentiae et caelestium donorum pignus, quam omnibus celebrationis participibus velis transmittere.

Ex Aedibus Vaticanis, die III mensis Martii, anno MMVI, Pontificatus Nostri primo.

BENEDICTUS PP. XVI

[00477-07.02] [Testo originale: Latino]
